

# PRÆCEPTA CALCULI

## MOTIVVM COELESTIVM.

### PRIMUM PRÆCEPTVM DE æquando tempore ob inæqualitatem dierum naturalium

*Initium præ-  
ceptorum de  
motuum sup-  
putatione.  
I.*

**D**Væ sunt causæ, quare propositum aliquod tempus æquari interdum oporteat, altera est inæqualitas dierum naturalium, altera Meridianorum varietas, quibus inter se versus ortum & occasum loca terræ discrepare intelliguntur. Sed de varietate Meridianorum postea dicemus. Nunc breuiter & fontes, & modi eius æquationis, quam flagitat dierum naturalium inæqualitas, exponendi sunt. Etsi autem absurdum videtur eundem motum & per se esse æqualem, & subinde apparere sui dissimilem, tamen perpetua & vniuersalis experientia testatur, non solum quod cœlestes motus videantur nobis dissimiles & inæquales in vno quolibet Planeta, quemadmodum Sol æquales Zodiaci semicirculos haud æqualibus temporum spacijs permeat: Verum etiam quod iidem reuera sint constantes, rati, ac æquabiles, quia manifestum est periodos, seu integras cuiusq; planetæ conuersiones æquabilitatem quandam inter se conseruare, vt Sol semper annuo, Luna mensis spacio percurrit eundem signiferum, etsi tamen in vna parte orbis interea diutius commoratur, quam in alia, quemadmodum in Elementis & Hypothesibus motuum hæc controversia de dissidio æqualis & apparentis motus copiosè explicatur.

*1. Tempus Astronomicum oportet esse æquale.*

Hanc ob causam Astronomi in motuum cœlestium inquisitione primum medios seu æquales motus proponunt, apte & concinne distributos in spacia æqualia temporum, vt annos, menses, dies, & dierum scrupula vel horas, deinde vero docent, quantum illis æqualibus motibus aliàs addendum sit, aliàs demendum, vt absque labore obseruationis, quem locum vere transeat stella hoc aut illo tempore, Canonum duntaxat & numerorum beneficio cognoscatur. Ad hunc enim prorsus finem Astronomicus calculus dirigitur. Infra autem de veris motibus dicendi locus erit.

Nunc vt institutum agamus, sciat lector æquales motus tum respondere æqualibus temporibus, tum ex canonibus suis aliter excerpri non posse, nisi æquale fuerit tempus, cui congruens æqualis motus alicuius stellæ quærendus est. Qua propter Astronomi tum reliquas temporis

D 2 species